



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

lix [i.e. i]. Natvra est principiu[m] motus & quietis ejus, in quo inest primò
& per se, & non per accidens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

DISSERTATIO SEPTIMA

De Natura & Arte.

I. **N**ATURA est principium & causa motus & quietis ejus, in quo inest, primo & per se, & non per accidens: sive est causa, ut moveatur id, in quo est, sive cui inest, tanquam pars essentialis. Per motum intelligitur generatio, augmentatio, motus localis; in summa motus corporeus & sensibilis. Per quietem non intelligitur mera negatio vel cessatio motus, sed positiva permanentia, vel possessio terminorum per motum productorum. Particula & accipienda est copulativè; non enim datur motus sine termino, nec terminus sine motu, nam & partes cæli continuò moti acquirunt novas & novas ubicationes, quæ sunt termini hujus motus, & terra semper quiescens conservat suum ubi, quæ conservatio est motus. Dicitur: *cui inest*: quia natura debet esse causa, ut generetur, augmentetur, alteretur id, cujus ipsa pars est essentialis: hinc ignis natura non est respectu alterationis, quam producit in subjecto extraneo, qui motus dicitur tamen
natu-

naturalis ; quia procedit à causa secunda naturaliter operante. Et quidem debet ei, quod movetur, inesse primò, id est, debet esse quid substantiale & de essentia & primo conceptu essentiali rei, qualis non est subsistentia, aut ullum accidens, etsi causa sint motus ejus, in quo insunt.

II. Materia, tam ut est principium passivum seu subjectum receptivum motus ; quam ut est principium activum & emanativum suarum proprietatū & ubicationum, est propriè dicta natura ; quia utroq; modo est verè causa, ut moveatur id, in quo est &c. Neq; hinc sequitur, nullum dā dum motum violentum ; etsi enim nullus detur motus violentus respectu materiae præcisè secū dū m se spectatæ, utpote indifferentis ad omnem motum recipiendum, datur tamen adhuc motus violentus respectu materiae, ut inexistentis composito, & jam determinatæ per formam ad certam rationem compositi & certam speciem motus ; sic enim determinatur materia à forma V. G. ignis ad motum sursum Cui nō obstat, quò d materia in hunc motum influat ; nam ille motus non dicitur violentus, in quem passum nullo modo influit ; sed in quem non influit cum inclinatione.

III. Si-